



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ivs Ecclesiasticvm

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

XIII. De Electione Regularium ad Ordinis sui Prælaturas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

ARTICULUS XIII.

De Electione Regularium ad Ordinis sui Præ-
laturas.

SUMMARIUM.

212. *In hac secreta vota exposcit Concilium Tridentinum :*
213. *Cujus decretum in Prælatorum Regularium duntaxat Temporalium,*
214. *Et Generalium Ordinum,*
215. *Abbatiam in titulum non obtinentium, electione est observandum.*
216. *Eodem decreto c. Quia propter 42. relatum constitutionem abrogatam, assertentium,*
217. *Et negantium DD. Opiniones ac fundamenta.*
218. *Verius Constitutio hac decreto illò non abrogata :*
219. *Ei tamen ex parte derogatum est, quoad qualitatem votorum.*
220. *Et electionem per quasi Inspirationem,*
221. *In suo verò robore relicta sunt specialia Jura Religionum :*
222. *In quarum electionibus juris apices minus scrupulosè attenduntur.*
223. *Publicatio nominum eligentium non semper :*
224. *Sed certis tantum casibus irritat Prælatorum Regularium electiones.*

H Actenus ex antiquo Decretali-
um Jure deducta, pleraque Regularium non minus quam secularium Prælatorum electionibus accommodata fuerunt ante S. Synodum

ad electionis substantialia jam sit processum, v.g. quòd compromissarii tractatum de persona ad prælaturam præ aliis idonea jam caperint? & tum revocationi locum esse DD. negant, propter claram decisionem c. *In causis 30. §. Quia verò ubi*, re non integrâ, facta revocatio pro nulla difertè habetur. Vel res adhuc integra, & non ultra Missam de Spiritu sancto, aliâque electionis preparatoria est processum? & tum compromissum revocari posse, communiter traditur argumentò à contrario ductò ex §. *Quia verò cit.* Non incongruè tamen hoc posteriori casu cum Glossa in §. *cit. V. Integra* & Panormit. n. 11. subdistinguit Laiman n. 7. Vel enim compromissum est principaliter in gratiam & honorem ipsorum compromissariorum, in quos pro ea vice liberaliter translata est facultas eligendi? & tum, re etiam integrâ, revocari verisimilius non potest; quia habet rationem alicujus donationis; quam, postquam acceptatione perfecta est, ita facile revocari non posse, patet ex l. *Sive 17. C. de Donat.* Vel compromissum est per modum alicujus mandati, commissionis aut delegaticnis eligendi in publicam Ecclesiæ utilitatem, quomodo in dubio fieri semper censetur? & tum vera est arg. à contrario ex §. *cit.* deducta communis doctrina; cum proprium mandato sit, ut re integrâ valeat revocari, §. *Resse 9. Instit. de Mandato C. c. Qui- enque 11. de ent. Excom. in 6.*

211. Ad revocationem autem hoc casu necessarius est consensus majoris saltem partis Capituli, arg. *Reg. Murare 33. in 6.* quia cederet in detrimentum capituli, si id, quòd ab eo unanimitè omnium consensu constitutum est, unicus capitularis aut minor eorum pars contra voluntatem majoris posset retractare, Panormit. in c. *In casu cit. n. 16. Sibi Laiman n. 8.*

nodum Tridentinam: cujus PP. *sess. 25. cap. 6. de Regular.* decretum est, *In electione superiorum quorumcumque, Abbatum temporalium & aliorum Officialium ac Generalium, quod omnia rectè & sine fraude fiant, imprimis sancta Synodus districte precipit, omnes supradictos eligi debere per vota secreta; ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur &c. Si verò contra hujus decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit.* Ratio id decernendi gravissima fuit; ut præcinderetur causa aversionum & inimicitiarum: quibus inter Religiosæ congregationis fratres, & ipsum etiam Prælatum, occasionem præbere votorum publicatio facile potest, & quandoque solet. Eò autem decreto, sicut qualitates eligentium eligendorumque, temporis aliæque circumstantiæ electionis, & suffragatorum ad hanc convocatio intacta, relictaque sub antiquioris Juris dispositione: sic ab ista quoad formam modumque procedendi recessum videri potest.

213. Dubium itaque primò est, in quorum prælatorum Regularium electionibus recitatum Synodale decretum sit observandum. Qua in re ex ipso ejus tenore certum est, id, sicut in ejusmodi Prælatorum temporalium duntaxat, hoc est prælationis munus non in titulum perpetuum, sed ad tempus duntaxat obtinentium, electionibus observandum est: sic observari necesse non esse in electionibus prælatorum Ecclesiarum & monasteria sua obtinentium in titulum perpetuum, ut sunt Abbates & Præpositi Ordinum SS. Benedicti, Augustini, Bernardi & similibus, ut planè liquet ex verbis, *In electione Abbatum temporalium*; his enim Synodale decretum aperte restringitur, & Abbatum hisque similibus Prælatorum Regularium perpetuorum electio intacta

sub antiqui Juris relinquitur dispositio, *arg. c. Cum expediat 29. pr. in 6. et l. Precipimus 32. in fine C. de Appellat. cumque sub ista relinquendi ratio fuit; quòd hujusmodi monasteria & Ecclesie Regulares Titulares æquiparentur Cathedralibus, can. Sicut vir 7. q. 1. c. Ne pro defectu 41. junctâ Glossâ V. Regularium cum, sicut istarum, sic & illarum prælatores nuncupentur, eorumque nomina Ecclesie videntur, c. cit. Fagnanus in Quia propter 42. n. 19.*

An id in Generalibus Ordinibus distinctè procedat, dubitandi ratio est: quòd, cum S. Synodus *cap. 6. cit.* de his loquens verbum *Temporalium* non interpretat, in Generalium indiscriminatè omnium electione decretum illud observandum videatur, ut à S. Congreg. Concilii Interpp. declaratum est apud Fagnanum *cit. n. 19.* rectè excipientem Generales, in aliqua Abbacia vel monasterio perpetuo intitulatos, ut sunt Cisterciensium & Cluniacensium Generales; quales instar cæterorum Abbatum perpetuorum Ecclesiarum suarum sunt ipsorum cum ista ipsorum obitu videntur *arg. c. Ne pro defectu cit.* atque idcirco *cap. 6. cit.* adjectò Abbatibus verbò *Temporalium* à Synodali decreto exempti, eorumque electio sub antiqui Juris dispositione relicta est.

Dubium secundo est, an decretum illud quoad Abbatum & superiorum Regularium electiones dispositioni *c. Quia propter cit.* sit derogatum. Ratio dubitandi est; quòd *c. cit.* præscripta electionum forma cum decreto Concilii Tridentini *cap. 6. cit.* impossibilis apparet in utriusque collatione. Primò quia sunt tres scrutatores, *Qui vota capitulum electorum diligenter exquirant, per se vel tabellionem, in scriptis, et ali-*

non publicentur in communi: quæ à Prælatorum Regularium temporalium electione aperte removet Tridentinum, cap. 6. cit. exposcens, ut illa fiat *Per vota secreta ita, ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur.* Secundo, ex e. *Quia propter cit.* præscripto collatione habita eligendus est is, in quem omnes vel major & sanior pars capituli consentit; ac proinde electioni præmittenda est collatio non solum numeri ad numerum; sed zeli quoque ad zelum; ut constet non solum, in quæ pars major, sed etiam sanior, hoc est, prudentiores, digniores, antiquiores & ætatis sive intentionis sinceritate præstantiores vota sua direxerint, e. in *Genesi 55.* quæ collatio nominum eligentium publicationem exposcit contra decretum Tridentini, illorum publicationem non permittentis, & electionem aliter factam irritantis cap. 6. cit. Tertiò, e. cit. eligendi potestas ab iis, quibus competit, Committi permittitur aliquibus viris idoneis, qui vice omnium Ecclesia viduata provideant de pastore, & quasi per Inspirationem facta electio recipitur: quibus & posteriori præsertim formæ eligentium personarum, contra cap. 6. cit. palam innotescunt, & vota secreta non sunt. Quare e. *Quia cit.* dispositionem à Concilio Trident. cap. 6. cit. quoad prælatorum Regularium temporalium electiones abrogatam, existimant Fagnani in e. cit. §. 20. & non obscure Donatus Tom. 2. *Prax. Regular. tract. 1. q. 5.* suamque hanc Opinionem firmant eâ ratione; quod, cum e. cit. præscripta & à n. 166. declarata formæ, ob solennitatem eam constituentium nimiam multitudinem, observatu difficillima sit, Regularium electiones ab ea eximi penè necessarium fuerit, ad evitanda incommoda, quæ ex tot solennitatum alicujus defectu orta, per frequentes electionum nul-

litates, monasteriis & Ecclesiis Regularibus damnosus afferre solent.

Verum, quia ab hujusmodi humanis actibus omnia incommoda removeri non possunt: & magis expedit, ut electiones justæ, quam ut sine omni incommodo celebrentur, hac ratione & tergemina illa comparatione nihil moti D.D. non pauci apud Tamburin. Tom. 1. de *Jure Abbat. disp. 5. q. 6. n. 10.* & Passerin. de *Elect. cap. 17. n. 5.* formam, ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi, relato e. *Quia propter cit.* præscriptam, à PP. Tridentinis cap. 6. cit. quoad Prælatorum Regularium, etiam temporalium, electiones non abrogatam, & Tridentini decretò salvò observati hodie quoque posse, defendunt; quòd decretum hoc nihil vetat, quòd Innocentius exposcit: & quòd hic vetat, illud non exposcat; eum Conciliaris decreti cum Innocentii Constitutione repugnantia non rectè defumatur

Primò ex eo; quòd Tridentinum exigat vota secreta, caveatque ne eligentium nomina unquam publicentur, partim; quia secreta etiam reputantur vota, quæ sive scripto expressa in schedula, sive ore prolata recipiuntur à scrutatoribus, ad ea non publicanda, sed sub secreto retinenda obligatis: ut, à S. Congreg. Card. Trident. Interpp. pluries declaratum, ostendunt Garciasp. 5. de *Benef. cap. 4. n. 189.* Suarez Tom. 4. de *Relig. lib. 2. cap. 5. n. 18.* & Tamburin. cit. q. 6. n. 10. partim verò; quia eligentium nomina non publicata etiam intelliguntur, quando à scrutatoribus, quibus innotuerunt, servantur sub secreto & nemini manifestantur: quòd fieri potest observatâ formâ e. *Quia propter cit.* cum hoc textu votorum duntaxat, non etiam nominum sive personarum vota conferentium, publicationem in communi faciendam, præ-

Q 9 2 scribatur

scribatur, *cit.* Suarez n. 11. & in praxi etiam personarum illarum nomina non publicari, liquet ex formula Electionis, relata à Zecrola *Prax. Episc. p. 2. V. Electio ad finem.*

Secundò ex eo, quòd *c. Quia propter cit.*

Papa exposcat, ut in eligendum consenserit major & sanior pars capituli, spectata saltem *c. cit.* praxi: quàm pars major etiam sanior esse præsumitur, & eligentium zeli ad zelum collatio propter plura incommoda inde orta in electionibus Regularium non adhibetur: eæque per fabas, lupinos aut schedulas, clausò eligentis, eligenda tantum personarum nomina exhibentes, fieri consueverunt. Quòd si apicibus Juris inhaerendo, an vota etiam saniora sint, attendendum & eligentium zeli ad zelum collatione investigandum sit, formæ *c. Quia propter cit.* prodita: procul dubio derogatum est *cap. 6. cit.* laudati Suarez n. 23. Tamburin. n. 24. & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 397. in fine.*

Tertiò ex eo, quòd Tridentinum, vota secreta exposcendo, excludat electionem per viam Compromissi: cum votis secretis etiam in isto locus sit, & eligentium nomina publicari non necesse, Fagnan. in *c. Quia propter cit. n. 25.* Quin etiam, si ista quoque publicanda essent, Compromissi tamen & veræ aut quasi Inspirationis vias à Tridentino non sublatas, sed in suo robore relictas, sustinent Rodriguez *Tom. 2. Regular. q. 52. art. 9. cit.* Laiman *de Elect. Prælatorum q. 182.* Tamburin. n. 9. & Pirrhing n. 347. §. *Circa*, partim; quia *cap. 6. cit.* sermo esse videtur de sola electioe per viam Scrutinii: partim verò; quia Inspiratio vera, cum à Deo sit, humana lege tolli nequit; cum quæ spiritu DEI aguntur, sub lege non sint, *can. fin. 19. q. 2. & c. Licet 18. post pr. de Regular.* In quasi Inspiratione autem, etsi legi & examini Ecclesiastico subiecta sit, personarum tamen

per eam eligentium manifestatio, propter unanimum omnium in eundem compitantiū consensum, secum non trahat incommoda, ad quæ excludenda secreta vota in Scrutinio desiderantur *cap. 6. cit.* ut ad hoc decretum hoc ad *c. Quia cit.* potius trahendū, quàm istius correctio inducenda sit.

Neque obstat; quòd contra Synodale decretum factæ electiones indelimitatim irritatæ sint *cap. 6. cit.* quia ad non necessariam, imò inutilem Jurium correctionem evitandam *cap. cit.* dispositio ad communi usu tritam electionis formam sive Scrutinii viam restringenda nec porrigenda est ad veram vel quasi Inspirationem; quòd hæc eligendi via ussuarissimi & non obnoxia sit incommodis quibus decreto illò S. Synodus occurrere.

Ex duabus his Opinionibus tribuendum aliquid, utriusque, & dicendum est, *Quia propter cit.* propositam formam Tridentino *cap. 6. cit.* non abrogatam: illi tamen derogatum imprimis; quòd *cap. cit.* caveatur, ne unquam publicentur nomina eligentium: quorum publicatio *c. Quia propter cit.* non solum non inhibita: sed tenore saltem & verbis, ut sonant acceptis, omnino necessaria fuit; quòd *c. cit.* discretè exigantur vota saniora: et an saniora sint, absque collatione zeli ad zelum eligentium, & hæc sine ipsa nominum seu personarum eligentium publicatione intelligi non possit. Accedit quòd, si à Concilio Tridentino *c. Quia propter cit.* prodita formæ derogatum, & eligentium nomina antè publicanda non fuissent, quoad votorum eligentium publicationem nullum horum discrimen foret inter electiones Abbatum temporalium & perpetuorum, & ipsorum etiam secularium prælatorum; & proinde Synodale illud decretum ad electiones solum temporales perpetrata, restitutum ejusque præcipua pars superuolans.

220. ea, aut e. *Quia propter cit.* merè declaratoria fuisse. Deinde; quòd *cap. 6. cit.* vota secreta exposcente, verisimiliter excludatur e. *Quia propter cit.* approbata electio per viam quasi Inspirationis; cum in ista eligentium vota palam innotescant: & propterea S. Congreg. Cardin. Interpp. irritam declararit electionem Provincialis PP. Carmelitarum, unanimi consensu unaque voce acclamati ab eligentibus: eique electione, per se creta vota celebrata, alius fuerit suffectus, apud *cit.* Tamburin. *de Jure Abbatiss. disp. 28. q. 4. n. 7.*

221. Duo tamen hoc locò probè notanda sunt. Primum est, casu quò in Religione aliqua Prælatos aliòsque superiores eligendi certa forma specialibus & à sede Apostolica approbatis constitutionibus vel privilegio introducta, vel perpetua & immemoriali consuetudine recepta esset, eam scriptò e. *Quia propter cit.* Jure non obstante retineri posse, ut in e. *cit.* notat Laiman n. 12. Alterùm,

222. in Prælatorum aliorumque superiorum Regularium electionibus apices Juris non semper ita scrupulosè attendi, easque sine difficultate confirmari: dummodo constet, servata substantialia ejusmodi electionis, præsertim si eæ per capitulum suffragii jus habentium secreta & majora vota celebrata sint, præmissumque juramentum: quò electores singuli fidem fecerint, se illum, quem secundùm Deum & conscientiam suam probiorem & magis idoneum judicârunt, electuros juxta præceptum Concilii Basileensis *Sess. 23. & 38. decretò de Elect.* & decreta Clementis VIII. 25. Julii 1599. edita & Urbani VIII. jussu à S. Congreg. innovatà 21. Septemb. 1624. apud *cit.* Tamburin. q. 6. n. 35.

Dubium tertio est, an per Scrutinii viam celebrata electio Prælati Regularis

quavis, quando, & quomodo eunque facta eligentium manifestatione irrita reddatur. Ratio dubitandi est; quòd, si quavis hujusmodi manifestatione electionis nullitas induceretur, imprimis in cujusvis electoris potestate foret, eum, in quem suffragium collaturus est, palam nominandò vel schedam, in qua illius nomen descriptum est, alteri legendam exhibendò, annullare electionem personæ, quæ ipsi displiceret: quòd cæteris capitularibus & ipsi monasterio præjudiciosum & exemplò perniciosum foret. Deinde, electio jam perfecta irrita reddi posset malitià cujusvis scrutatoris, post illam jam celebratam vota sive eligentium nomina publicantis. Et demum, suffragiù in certam personam conferendi jus, contra e. *Quia propter cit. §. Illud quoque & c. Si quis justo 46. §. Porro in 6.* ademptum esset absentibus, quò minus electioni ipsi intersint, legitime impeditis; quòd de suffragio in certam personam suo nomine conferendò speciale mandatum dare procuratoribus nequeant sine suæ & ejus, in quam suffragium conferri volunt, personæ manifestatione.

Rationi huic deferendum, statuedumque est, non quavis eligentium publicatione Prælati Regularis etiam temporalis electionem irritari; cum ea irrita non reddatur. Primò, constitutione procuratoris ad eligendum cum mandato generali: etiam si huic verbis aut aliter extra mandatum injungeretur, ut electoris absentis nomine suffragium in certam personam conferat: dummodo in hanc suffragium absentis nomine secretò conferatur; cum talis suffragatio satis secreta sit, fere sicut juxta dicta secreta est, in qua elector præsens personam eligendam scrutatoribus manifestat, Garcia p. 5. de Beneficiis cap. 4. n. 201. Secundò, eligentium nominibus, contra

Q 9 ;

secreti

secreti obligationem à scrutatoribus vel ipsis eligentibus temerè propalatis, post electionem legitime celebratam & consummatam; quia electionis valor pendere nequit ab eventu futuro: & perfecta non vitatur: etiamsi veniat ad casum, in quo incipere aut perfici non potest, Joan' Monach. in c. *Quorundam* 24. in 6. Suarez cit. cap. 5. n. 11. Tertio, factò Capitularis, ante electionem seu scrutinium palam nominantis personam, in quam suffragium conferre decrevit; quia ex hoc electio non desinit esse secreta; cum hujusmodi nominatione non obstant suffragium in alium valeat conferre, cit. Garcias n. 196. & Barbosa in Trident. cap. 6. cit. n. 14. Quarto, neque etiam, si elector per errorem, imprudentiam, vel malitiam ante electionem capitularium alicui ostendat in scheda descriptum nomen ejus, in quem suffragium est directurus: si id nullà capituli culpà faciat in fraudem, ad certam personam electionem annullandam; cum fraus sua & dolus ipsi non debeat patrocinari, c. *Sedes* 15. c. *Ex tenore* 16. de Rescript. c. *1. Nec ex dolo* 12. ff. de Dolo. Quintò, neque etiam factò alicujus capitularis, votum suum palam dantis: si capitulum contradicat, eoque votò rejectò aliud secretum dare jubeat; quòd ita electio adhuc secreta foret: vel, si capitulum votum suum temerè publicantem tanquam indignum suffragandi jure pro ea vice, interveniente tamen Auctoritate Ordinarii, privet, cit. Garcias n. 195.

224. Quare Prælatorum Regularium temporalium electiones, ob votorum sive nominum ipsorum eligentium publicationem, ex Synodali decreto cap. 6. cit. irritæ tunc potissimum sunt, quando capitulares, eorumve major pars, aut etiam unus cæteris consentientibus vel

permittentibus, votum suum palam exhibet in scheda descriptum vel ore profert: vel, quando nomina plurium vel unius eligentium à scrutatoribus aut illorum uno vel alio quopiam, Scrutinium violante, in ipso electionis actu & ante istius consummationem publicarentur: vel eligentium etiam unus duntaxat votum suum in scheda descriptum uni vel pluribus in ipsa vel etiam ante electionem ostenderet, eaque ostensione certam personam electio promoveri vel impediri posse judicaretur. Imò etiam, si post electionem factam eligentium nomina in Bullis confirmatoris seu patentibus exprimerentur: quòd à S. Congreg. Card. Interpp. declaratum, testis est Castellanus *Tract. de Elect. cap. 4. n. 61.* Ita etiam cit. Suarez n. 11. Garcias à n. 186. & Barbosa à n. 4.

ARTICULUS XIV.

De Electione Abbatissarum aliarumque Monialibus præficiendarum.

SUMMARIUM.

225. Ha per vota secreta, fere raris clausuram recepta,
 226. Præside Episcopo aliove superiori,
 227. A monialibus religionem saltem professis eliguntur.
 228. Votum in earum electione non competit Præsidi vel scrutatoribus.
 229. In quos tamen compromitti à monialibus:
 230. Non etiam extranea persona à suffragium admitti potest.
 231. In Abbatissam eligi nequit Ordinis diversi,
 232. Etatis 40. vel 30. Professæ